

statueram. Sed quemadmodum ma-
teriam libri interpreti latino duram
in primis et asperam cognovi, ita nec
formam illi, quod dixi, consilio meo
satis favere intellexi. Et materia qui-
dem magnam habet copiam et varie-
tatem rerum, quas, licet magnam par-
tem vulgares et tralatitias ipsiusque
vitae communis et domesticae usu co-
gnitas, raro tamen vel mente et stilo
tractamus, quicunque latine scribi-
mus, vel ex antiquis auctoribus iis,
qui vulgo in manibus versantur, le-
ctione arripimus, nisi quis forte etiam
Rei Rusticae Scriptores, Plinii Hi-
storiam Naturalem, Solinum, Vitru-
vium, aliaque id genus vetustatis mo-
numenta cognoverit. Forma autem
libri paene tota in dialogo cernitur
sermoneque familiari, in cuius vel
indole nativa formisque grammati-
cis, vel spiritu et animato vigore, vel
lepore ac facetiis latinitate donandis
et genuino Latii colore induendis
difficile est illam, quam pueris con-
venire ajo, simplicitatem sequi (hoc
est, verbis **Germanicis** pressius in-
haerere), quin auribus eruditis, et
comicorum veterum in sermone se-